

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6421

Auteur(s) : Adrien IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Osbert, Rouen, Saint-Lô (prieur)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1156, 10 décembre

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle du pape Adrien confirmant les droits, donations et bénéfices de Saint-Lô.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° VI, p. 292-294.

b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 92, p. 177-179.

Texte établi d'après a

Adrianus episcopus servus servorum dei dilectis filiis Osberto priori Sancti Laudi in Rothomago eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis IN P.p. M. (in perpetuam memoriam). Effectum iuste postulantibus indulgere et vigor equitatis et ordo exigit rationis presertim quando petentium voluntatem et pietas adiuvat et veritas non relinquit. Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis si quidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Dei timorem et beati Augustini regulam illic auctore Domino institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur et nullus de cetero in eadem ecclesia nisi regularis canonicus statuatur. Preterea quascunque possessiones quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum et principum oblatione fidelium seu aliis multis modis Deo propitio poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Brealtare cum ecclesia et decimis totius parrochie et forum in eadem villa quod concessit Henricus rex Anglorum cum consuetudinibus quas habent alia fora in Normania. Et feodum quod tenebat Guillelmus de Brealtari de Guillelmo de Romara. Arclou cum ecclesia et molendino. Unam prebendam in Burdeneio cum ecclesia et molendino et duas partes decime quas tenebat Simon de Burdeneio in dominio suo in eadem parrochia. Duas partes decime de Blovilla et Masnilleio et de Aqua pluta et de Escura. Medietatem ecclesie de Agon et cimiterii cum medietate decime totius parrochie et medietatem ecclesie Sancti Johannis in Rothomago et decimas de feodo episcopi Baiocensis in Rothomago. In festivitate Sancti Laudi de dominio Normannie unum cervum et sex solidos in moneta unum aprum in festivitate Sancti Rumpharii et decimas quasdam in Rothomago. Decrevimus ergo ut nulli

omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere. minuere seu quibus libet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva nimirum apostolice sedis auctoritate et salva Constantiensis episcopi canonica iusticia et reverentia. Salvis etiam prebendis canonicorum secularium qui adhuc in eadem ecclesia superstites esse noscuntur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat. Atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem. eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

ADRIANUS CATHOLICE ECCLESIE EPISCOPUS

Ego Guido pbr card. tituli Sancti Chrisogoni.

Ego Ubaldus presbr card. tituli Sancte Praxed.

..... (effacé) Sancti Marcelli.

Ego Octavianus presbr card. tituli Sancte Cecilie.

Ego Henricus presbr card. tituli Storum Nerei et Achillis.

Ego Imarus Tusculi episcopus.

Ego Cencius Portuensis et Sancte Rufine episcopus.

Ego Gregorius Sabinensis episcopus.

Ego Odo diacon. cardin. Sancti Georgii ad velum aureum.

Ego Gurdo diac. card. Sancte Marie in porticu.

Ego Jacentus diac. card. Sancte Marie in Colmydyn.

Ego Ildebrandus diac. card. Sancti Eustachii.

Ego Odo diac. card. Si Nicholai in Carcere Tull.

Datum Laterani per manum Rolandi presb. card. et cancellarii. IIII idus decembris indictione V anno dominice incarnationis M°. C°. LVI°. pontificatus vero domini Adriani pape quarti anno tertio.